



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

§. 5. Quomodo Vir humilis in subitis humilitationibus se gerat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

15.
Ne super-
bus ijs a-
butatur in
dammum
suum.

dentissimus architectus; cur quæ-
so, gratiarum suarum domicilium
supra arenam ædificet, quod con-
tinuò vento superbiæ concussum
in præceps iturum prævidet? cum
vino cælesti ad rerum æternarum
amorem segnes mortalium men-
tes velit allicere; cur copiosè il-
lud in eos effundat, quos temu-
lentiâ de re cta ratione dejectos,
inde sibi plaudere, laudes captare,
& benefactoris oblitos, se ipsos
gloriosè videt supra ceteros attol-
lere? an non esset hoc infano gla-
dium porrigere, & rem pretiosis-
simam luto, sordibusque Deo
cælitibusque odiosis miscere; nul-
lo fructu, sed in miseriam, &
nunquam satis descendam abutē-
tis perniciem?

§. 5.

Quomodo Vir humilis in
subitis humilitationibus
se gerat.

16.
Sensu ani-
mi in hu-
miliatio-
nibus.

Psalms. 38.

Imitatur Regium Vatem, qui
in similibus quadruplici cogi-
tatione velut armaturâ se com-
munit. 1. Deum omnium even-
tuum, præterquam peccati, au-
ctorem intuetur, & dicit: ob-
mutui, & non aperui os meum,
quoniam tu fecisti, amove à me
plagas tuas: quasi dicat: Liben-
ter contumelias, & opprobria,
quæ tu paternâ severitate ordina-

sti, excipio: amove tantùm pla-
gas tuas, hoc est, excæcationem,
obdurationem, & similes, quibus
ut iudex, non ut Pater, peccato-
res obstinatos persequeris. 2. In
te spem omnem, inquit, meam
collocavi, ac commisi tuæ boni-
tati causam meam. 3. Ne dum
commoveor, supergaudeant ini-
mici, & propter impatientiam
meam lætitiæ, & consequenter
peccandi occasionem accipiant.
4. Quia propter peccata, in fla-
gella non tantùm linguarum, sed
verborum sum paratus; semper
enim de peccato expiando cogi-
tabo, & quomodo pro illo satis-
facere possim, ero sollicitus.

Hinc S. Bernardus nos monet,
ne (cum sine scandalo fieri potest)
nos excusemus; sed accusemus
potius, & confiteamur, & qui ma-
gni nominis umbram, & perso-
nale quoddam figmentum perfe-
ctionis apud homines induimus,
conscientiæ nostræ cognoscent-
es paupertatem non usquequa-
que recedamus à veritate, & ve-
ritas liberabit nos.

Nec aliquibus grave videtur
hoc ex animo confiteri; sed cum
hoc ipsum ab alijs nobis objicitur
repentino quodam vulnere ita in-
terdum percutimur, ut tacere aut
dissimulare non possimus, in quo
defectum humilitatis prodimus.
Audiamus hac de re S. Gregori-
um. Indiciū veræ confessionis
est,

Psalms 37.

17.
Non se
excuset
humilia-
tus.

De vitia
Solitaria.

1. 22. m. 11. 10.

est, inquit, si cum quisque se peccatorem dicit, id de se etiam alteri non contradicit: quod si superbe defendimus, liquet quod peccatores nos ex nobis fictè dicebamus: superbiæ quippe vitium est, ut quod de se fateri quisque quasi suâ sponte dignatur hoc tibi ab alijs dici dedignetur.

18.
Si potest
tacere sine
scandalo.

2. Si forte ullius culpæ tibi conscius non es, quæ tibi imponitur, ob quam nihilominus nigro carbone apud innocentæ tuæ ignaros, ob silentium tuum notaris: si nihil inde scandali oritur, nec divinæ gloriæ aliquid decedit; perge & obfirmâ te in silentio tuo, Dei testimonio apud conscientiam tuam fretus, & subnixus: vel potiùs Dorothei consilium & exemplum sequere. Profectò, inquit, si quis se cum Dei amore diligenter examinet; nunquam omnino se in fontem inveniet: videbitque vel factò, vel verbo, vel specie, aliquam à se occasionem datam: quòd si in nullo horum tum se fontem inveniat, profectò alio tempore, vel in eadem, aut dissimili peccasse se reperiet. S. Theresia, à qua plurima humilitatis exemplar meritò peti possunt, dum in ipsam probra jacerentur, ad Dorothei consilium hoc addebat, ut diceret, minima esse, & prope nulla quæ jactabantur, si pro ijs, quæ in ipsa opprobrijs digna la-

tebant, conferrentur. Verè sanè Dorotheus accusationem sui perpetuam humilitatis germanam filiam appellat.

Praxim singularem, dum ab hominibus haberis despectui, accipe à S. Bonaventura: quibus places, inquit, attribue eorum benevolentiam, non tuæ probitati: quibus autem displices, attribue tuo merito, & cogita: Si in tantillo illis displices, sic ut exterius tuam vilitatem possunt cognoscere, quid facerent, si radicatus perspicerent omnia vitia tua, & peccata, & inhonestata tua? mirum si te non ejicerent, aut lapidarent. Pro me loquor: nunquam enim à fidelibus ita despectus sum sicut sum despicabilis in veritate: unde non debeo indignari, cum aliquando despicio; sed mirari, & reputare beneficium Dei, quòd non omnibus sum odiosus. Addit deinde; cum tibi detrahi intelligis, non movearis; quia si verum est quòd dicitur; non est inconveniens hoc loqui homines, quòd tu facere ausus es: si autem verum non est, non nocet tibi eorum locutio. Ut si albus esses, & aliquis diceret te nigrum esse, quid obesset tibi?

Quàm excellenter te contra omnes humiliationis assultus armares, si ejusdem sancti mentem indueres, qui in stimulo amoris ita loquitur: Ut Deum placare possim,

De insis
novis. c. 10.
19.
Ex doct.
S. Bonav.

Psalm. 1. v. 7.

20.
Et ejus-
dem pro-
posito.

possim, scio quid faciam; afficiam me undique pœnalitatibus & angustis; & me tanquam lutum fatidissimum conculcabo, abominabor me sicut stercus; & ero intolerabilis mihi ipsi: in mea confusione & dejectione, & conculcatione, sive à me, sive ab aliis illata lætabor, & exultabo, cum appuerit ignominia mea. Et quia non sufficio me detestari; contra me universum cœtū creaturarum congregabo, & à qualibet confundi, & puniri desiderabo, quia earum contempsi creatorem: hęc erit mihi thesaurus desiderabilis, super me pœnas & opprobria aggregare, & eos intimo corde diligere, qui me adjuverint in hoc facto: omnem consolationem, & honorem vitæ præsentis horrebo, & velut hostes blandientes habebō. Credo firmiter, quòd, si sic fecero, aperietur super me miserum & indignum divinæ pietatis thesaurus.

§. 6.

Quomodo anima humilis expediat se à vana gloria.

21.
Homo nullus est, nullam

Primò altè menti imprimit, quod Catharinę Senensī Christus dixisse perhibetur: Filia si noveris, qui ego sim, & quæ tu sis,

beata eris: Ego sum qui sum, tu es quæ non es: hęc cogitatione frera facilè conteres omnes laqueos inimici. Et verò quomòdò quis sibi persuadeat nihilum aliud laudis mereri?

Hinc meritò S. Bernardus animam, quæ se in veritate invenit, & secum non dissimulat, sed statuit se ante faciem suam, impossibile esse arbitratur, ut vanè extollatur. Nónne, inquit, anima se intuens in luce veritatis, inveniet se in regione dissimilitudinis, & suspirans misera, quàm jam latere non potest, quòd verò misera sit, clamabit cum Propheta ad Dominum: *In veritate tua humiliasti me.* Nam quomodo non verè humiliabitur in hac verà cognitione sui, cum se perceperit onerata peccatis, mole hujus corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cœcam, curvam, in firmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic excellentia oculorum? unde levare caput? nónne magis convertetur in ærumna sua dum configitur spina? Convertetur, inquam, ad lachrymas, convertetur ad gemitus, con-

verte-